



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Theoctista V. 10. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

hereditatem CHRISTI imaginem cruci suffixam, opus ab artifice manu ipsius Nicodemi commendandum. Spectasses in nepotibus suis antiquos Servatoris hostes, & non jam odii simulachrum, sed ipsissimum veteris impietatis bellum. Iterum Christus vincula fert, & captivus triumphatur, agitur, rapitur. Iterum sputa volant, alapæ insonant, flagra crepant, spinæ se armant, clavi malleique intonant. Iterum fel & felle suo acerbior lingua sævit. Denique (ô cæli patientiam!) iterum pectus ferro impio petitur; atque, ut ne aberrasse existimes, iterum fons geminus sanguinis & undæ fluit. Hic omnium morborum medicus febres pelleret, lepram abstergere, claudos in pedes erigere, ipsis denique sceleris auctoribus oculos ita aperire, ut tam cæci nuper fidei tunc lumen aspicerent, miraculo hoc gratiore, quod urbs tot jam Longinos, quot paulo antè Iudæos numeraret. *Ex actis Nicenæ Syn. l. l.*

S. THEOCTISTA V. 10. Novembrii

REctius hoc die Lesbos THEOCTISTAM, quam olim Sappho suam laudat. Apage decimam Musam, quæ Virgo non est. At quam scribimus, THEOCTISTA, inter Virgines sacras à primis annis educata virginitatem etiam ipsa spirat, gratissimum odorem illi,

illi, cui odoratum mundus non abstulit. Et potuere THEOCTISTÆ libertatem eripere, Arabes prædones, sed nõ pudorem proinde, ut qui nunquam expugnatur, nisi ubi à proditore animo habitat. Itaque cum vivere inter latrones animorum se videret, in silvas aufugit horridas & metuendas, sed fidas semper virgini latebras. Hic ad templi rudera castissima Sacerdos preces cælo facere, corpusculum herbis, animum cæli delitiis pascere. Tandem cum annos vixisset V. supra XXX. & veste jam defluente foliis pudorem tegeret, venatori visa est, pro monstro utique habenda, si vox & virtus non prodidissent. Texit tunc suis vestibus hic, & anno vertente cibo divino recreavit. Sed cum à venatione denuò ad illam viseret, exanimem reperit, & de tam nobilibus exuviis manū sibi dexteram abstulit. Verum cum non nisi restitutâ hâc solvere è portu potuisset, narrassetque miraculum sociis, accurrerunt hi venerabundi, sed nihil quidquam præter virtutis vestigia invenerunt. Dubitarem à quibus ablatum corpus foret castissimum, nisi tumulanti virginitatem ab Angelis Catharina doceret. *Ex Metaphr.*

Rr S. MAR-